

vilegium ad id post concilium Tridentinum a Sede Apostolica obtinuerunt, possunt adhuc a quolibet catholico antistite ordines suscipere, et consequenter eorum superiores ad quemlibet catholicum antistitem dimissorias concedere. Habetur expresse ex citata novissima constitutione Innocent. XIII, const. incip. *Apostolici ministerii*, confirmata a Ben. XIII, const. inc. *In supremo*, ut patet ex propriis verbis adductis supra n. 55, ibi: « Exceptis tamen, quoad prædicta, regularibus illis, quibus per speciale privilegium a Sede Apostolica post concilium Tridentinum fuerit concessum ut a quolibet catholico antistite ordines suscipere possint, super quo indulto nihil per præsentem innovare intendimus. »

(70. Tali speciali privilegio gaudent Patres Societatis Jesu, ut eis concessit Gregorius XIII constitut. 77, incip. *Pium et utile*, confirmata a Paulo V post Clementem VIII et nunc vigere ex oraculo Innocentii XII testatur eminentissimus Petra, tom. V *Commentar. ad constit. 7 Pii II*, n. 87, et refert Monacell., t. II, tit. 13, formul. 4, n. 31, quod dictus Pontifex Innocentius XII, instante Patre Thyrso Gonzalez generali, et referente eminentissimo card. Sperello, tunc vices gerente sub die 17 Augusti 1695, declaravit, prædictum decretum non comprehendere clericos Societatis, sed in illorum ordinatione servandam esse constitutionem Gregorii XIII. Et jam antea, proposito in sacra congreg. Concil. ab archiepiscopo Mechliniensi duplici dubio, nempe, ut refert Monacell., loc. cit., n. 32.

« I. An clerici Societatis Jesu sacros ordines ab archiepiscopo Mechliniensi suscipi debent se subijcere examini prout cæteri regulares? »

« II. An clerici Societatis Jesu habitantes in diocesi Mechliniensi, archiepiscopo ordinationem habente, possint extra diocesim Mechliniensem ordinari ab alio episcopo in propria diocesi? »

Sacra congregatio Concilii die 5 Julii 1681 respondit:

« Ad I, *negative*, nisi adsit consuetudo in contrarium. »

« Ad II, *affirmative*. »

(71. Dicto speciali privilegio gaudent Fratres Minores de Observantia in partibus Indiarum occidentalium existentes, ex concessione post concilium Tridentinum et Clementem VIII eis facta ab Urbano VIII, constitut. incip. *Cum sicut*, ibi: « Nos ejusdem, etc., supplicationibus... » et infra: « Nobis humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis ejusdem ordinis S. Francisci in partibus Indiarum occidentalium hujusmodi tantum existentibus expresse professis, ut de superiorum suorum licentia a quocunque, quem maluerint, catholico antistite, gratiam et communionem Apostolicæ sedis habente in propria diocesi residente, vel in aliena de diocesani loci consensu Pontificali exercente, per eos eligendo, ad omnes, et etiam sacros et presbyteratus ordines, etiam temporibus ad id a jure sta-

tutis, ac interstitiis a sacra cong. Trid. designatis, minime servatis, annique curriculo non expectato, etiamsi in unoquoque ex dictis S. Ordinibus susceptis, antequam ad alium promoveantur, se minime exercuerint; dummodo tamen ad id idonei reperiantur, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possint et valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, et indulgemus, ac facultatem impartimur. Non obstantibus, etc. »

72. An autem tali speciali privilegio gaudeant omnes alii regulares, quamvis multi id negent, plurimi tamen id affirmant ex concessione facta a Clemente VIII die 23 Nov. 1596, congregationi S. Joannis evangelistæ in Portugallia, quibus indulgit ut a quocunque antistite communionem Ecclesiæ habente cum prælatorum suorum licentia, seu dimissoriis ordinari valeant. Unde quod ejusmodi religiosi non sint adstricti ad eam formam concedendi dimissorias suis subditis, quæ in sæpius citato decreto Clementis VIII adducta supra, num. 54 præscribitur, notant Piasecius, part. 1, *Praxis episcopalis*, c. 1, art. 2, n. 5; Barbosa, part. II *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 4, n. 60; Pirhing, lib. 1 *Decret.*, tit. 11, num. 61, vers. *Porro etsi*; Reiffenstuel, *ibidem*, n. 136; Sporer, t. III, part. 1, c. 5, n. 123, eum multis aliis; nec immerito, quia allegata concessio Clementis VIII est posterior dicto suo decreto, ut patet ex data, cum decretum datum sit 15 Martii 1596 et concessio data sit die 23 Novemb. ejusdem anni. Tum quia privilegium a Papa concessum debet aliquid speciale operari, c. *Abbate* 25, De verbor. significat. Si autem dicti religiosi non possent dimissorias concedere ad alios episcopos, nisi in casu quo proprius diocesanus abesset, vel nullas ordinationes haberet, nihil speciale operaretur, cum jam id fuerit ipsis, sicuti et omnibus aliis regularibus concessum ab ipsomet Clemente VIII in priori decreto edito 15 Martii 1596. Cum dictis autem religiosis communicant in privilegiis alii regulares. Vide supra, art. 2, num. 13, ubi varia ad rem.

(73. Patres congregationis Oratorii Urbis et Neapolis habent indultum, quod promoveri facere possint ad quoscunque ordines suos alumnos a locorum ordinariis, in quorum diocesi habent domicilium absque litteris dimissoriis episcoporum originis. Sic declarasse sacram congregationem Concilii anno 1604, lib. LV *Decret.*, pag. 375, refert Monacell., tom. II, tit. 13, formul. 4, num. 41, et card. Petra, tom. V *Commentar. ad constit. 7 Pii II*, n. 84, ubi subjungunt non videri derogatum tali indulto per constitut. Innoc. XII incip. *Speculatores*, quia lex generalis nunquam censetur comprehendere casum privilegiatum, et specialem, per textum in c. *Cum Ordinem* 6, et c. *Abbatem* 40, ubi *Glossa*, verb. *Per litteras*, De rescriptis; Gonzalez, ad regul. 8 *Cancell.*, gloss. 9, § 2, n. 9; Rota coram Peuting., decis. 354, n. 10, cum ibi allegatis.

(74. Verum quoad hæc de quibus hucusque, ordinationes scilicet regularium, nunc attendenda est omnino et observanda novissima constitutio Benedicti XIV incip. *Impositi Nobis desuper*, edita die 27 Februarii 1747.

In qua, relata veteri controversia de ordinatione regularium inter ipsos, et episcopos, ac sanctione sub Gregorio XIII, Sixto V et Clemente VIII quod nempe superiores regulares possint suis subditis regularibus pro eorundem ordinatione litteras dimissorias duntaxat concedere ad episcopum diocesanum, et solum, si diocesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcunque alium episcopum, prædictam sanctionem confirmat, superiores regulares decreti Clemente VIII transgressores omnibus pænis in ipso contentis subijcit, ac regulares contra dicti decreti præscriptum promotos et episcopos eos sic promoventes, pænas omnes atque censuras, quæ adversus sacram ordinationem suscipientes ab episcopo qui proprius ad hunc effectum dici et haberi nequit, nec non adversus episcopos alienos subditos indebite ordinantes, in jure canonico, et in constitutionibus Apostolicis statutæ habentur, incurrere ipso facto absque alia declaratione decernit; clementer respective absolutis, dispensatis ac rehabilitatis iis omnibus qui in prædictis deliquissent, et ob hoc sententias, censuras ac pænas ecclesiasticas antehac incurrissent.

(75. Præterea statuit ut superiorum regularium dimissoriæ, quæ ideo ad alium antistitem directæ fuerint, eo quod episcopus diocesanus extra diocesim commoretur, vel ordinationem non sit habiturus, nullius sint valoris et momenti, nisi illis adjuncta fuerit authentica attestatio vicarii generalis, vel cancellarii, vel secretarii ejusdem episcopi diocesani, ex qua constet vel ipsum a diocesi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto. Quod si aliquis antistes regularem virum in sua diocesi proprium domicilium non habentem, solis ipsius superioris dimissorialibus litteris contentus, sine adjuncta præfata attestazione in forma probante, ad ordines promoveri præsumperit, decernit et declarat hunc ipso facto incurrere in pænas canonicas adversus eos constitutas, qui alienum subditum legitimis dimissoriis destitutum ordinarint. Declarat tamen regulares volentes se promoveri ad ordines non teneri ostendere dimissorias ordinariorum propriæ originis, sed sufficere ut observent formam præscriptam in decreto Clementis VIII, ut censuit etiam sacra congregatio Concil. 28 Februarii 1654, et amplissime confirmavit 7 Martii 1674.

(76. Privilegia autem suscipiendi ordines a quocunque catholico antistite decernit illis solis regularibus suffragari, quibus post Tridentinum concilium nominatim atque directe, non autem per communicationem

concessa fuerint, ut jam in quadam congregatione particulari ab Innocentio XIII deputata fuit declaratum, et ipsemet Innocentius XIII statuit constitutione incipient. *Apostolici ministerii*, confirmata a Benedicto XIII constitut. incip. *In supremo*. Dicta vero privilegia declarat nequaquam post concilium Tridentinum indulta censi, nisi vel post ipsius concilii confirmationem reipsa fuerint concessa, vel quatenus antea concessa et posterius confirmata esse asserantur, hujusmodi confirmationes, quæ in forma communis nuncupantur, nemini ad præmissum effectum ullo pacto suffragari. Quod vero spectat ad eorundem privilegiorum usum et exercitium, vult monendos esse illos qui vere ipsis, ut supra concessis, gaudent, ut non sine justa causa, nec extra debitas circumstantias, pro libito ipsis utantur; minime vero ad ostendendam duntaxat ipsorum privilegiorum singularitatem, quemadmodum aliquibus in more positum esse cognovit, qui pridie illius diei, quo ab episcopo diocesano clericorum ordinationes publice habendæ sunt, ad alterius episcopi diocesim consulto migrant, moxque suscepto ibidem ordinationis munere, ad pristinum domicilium redeunt: idque se facere aiunt, ut jurium suorum indemnitati consulant; quasi vero Apostolica privilegia, non nisi cum aperto episcopi diocesani contemptu suam vim et robur habitura forent. Sic ipse expresse in citat. constit. incip. *Impositi Nobis*, ubi etiam ad rem multa sapientissime tradit, ac episcopos et regulares omnes, maximo quo potest Apostolicæ voluntatis studio, per misericordiam Dei nostri, ut tam in hoc negotio, quam in cæteris omnibus solliciti sint unitatem spiritus et sinceram dilectionis concordiam servare, hortatur, etc.

(77. Nuntii Apostolici possunt ordines conferre illis qui habent dimissorias proprii episcopi cum clausula, quod possint a quocunque antistite ordinari; supplicante enim nuntio Apostolico Taurinensi pro resolutione dubii: « An ipsi nuntio competeret facultas absque licentia episcopi diocesani ordines in propria capella conferendi habentibus litteras dimissoriales a propriis episcopis cum clausula, quod possint a quocunque antistite ordinari? » Sacra congreg. Concilii sub die 23 Aug. 1633, respondit, « posse; » lib. XIX *Decr.*, pag. 271.

(78. Græci et Albanenses Græco ritu viuentes, et commorantes in Italia, sine litteris dimissoriis proprii ordinarii loci Latini et diocesani nequeunt promoveri ad ordines, sub pœna suspensionis; et si suspensi, in suis ordinibus ministraverint, irregularitatem incurrunt. Et si ordinentur ab episcopo Latino, illi qui a presbyteris Græcis sunt confirmati, debent ante ordinationem iterum confirmari, sub conditione videlicet: « N. Si es confirmatus, ego te non confirmo, sed si non es confirmatus, ego signo te signo crucis ✕, confirmo te chrismate salutis. ✕ In nomine Patris, etc. »

Clemens VIII, constitut. 34, incip. *Sanctissimus*.

(79. Ultramontani non possunt ordinari ab episcopis Italiae, nisi illorum demissionaria fuerint recognita et approbata per nuntios Apostolicos earum regionum, ac per vicarium Urbis. Urban. XIII, const. 33, incip. *Secretis*. (80. Et hoc quamvis ordinandi permanerent in collegiis Italiae. Sacr. congreg. Concil. in *Boroniensis*. 15 Martii 1692, apud Monacell., t. I, tit. 3, formul. 19, n. 3. (81. Hoc tamen non procedit in ultramontanis regularibus, ut jam dictum est supra, num. 60, ex declaratione sacrae congregationis. *Vide ibi*.

(82. Commorantes in Urbe quatuor menses non possunt ordinari extra Urbem cum litteris dimissionis proprii ordinarii, sed debent se praesentare eminentissimo cardinali vicario, a quo debent ordines recipere vigore edicti tempore Clementis VIII de anno 1603 emanati, ac Alexandri VII anno 1664, die 15 Maii, et declarationis congregationis deputatae ab eodem Pontifice approbatae; alias contraveniendo incurrunt suspensionem Papae reservatam.

(83. Ordines subditis sex episcopatum cardinaliorum prope Urbem, in quibus non sunt suffraganei, si proprius cardinalis episcopus non accedat ipse ad suam diocesim, et ibi ordinationes habeat, debent conferri per cardinalem vicarium Urbis cum dimissionis sui ordinarii, nec dictae demissionariae possunt dirigi aliis episcopis sub poena suspensionis. Alexander VII, constit. 129, incip. *Apostolica sollicitudo*.

(84. Metropolitanus, patriarchae et nuntii seu legati, nequeunt subditis ordinari conferre ordines, seu demissionarias ad alios episcopos concedere. Sic declaravit sacra congregatio in *una Burgensi* 16 Novemb. 1621, et refert Pignatell. tom. II, consult. 1, n. 5, et per tot., in *Compend.*, verb. *Nuntius*, et Card. Petra, tom. I *Comment. ad constit. unicam Urban. II*, sect. 1, num. 44, ubi refert, S. M. Innocentium X prohibuisse legato Bononiae se ingerere in materia ordinum, praevio voto sacrae congreg. Episcoporum et regular. 30 Septemb. 1650. Et de archiepiscopo sacra congreg. Concil. in *Calaguritanana*, die 17 Januar. 1693, censuit dandas esse litteras monitoriales metropolitanis Burgen. ut abstineret a conferendo ordines iis qui fuerunt ab ordinario rejecti, et episcopus uteretur jure suo in ordinationibus, non obstante jussu metropolitani in contrarium, et in casibus hujusmodi certiorer sacrae congregationem. Et propositis pluribus dubiis in congregatione die 16 Aprilis anni 1695 et dilata resolutione die 16 Julii 1695 iterum propositis inter alia: «IX. An metropolitanus possit cogere suffraganeum ad conferendum ordines, et an possit admittere appellationes ab ordinum denegatione? X. An et in quibus casibus teneatur episcopus exprimere causas denegationis ordinum, et an ad id possit per metropolitanum?» Sacra Congreg. cum alia octo dubia fuissent proposita circa gravamina praetensa

per episcopum contra archiepiscopum quoad appellationes, respondit: «Ad primum usque ad nonum. Dentur decreta alias a sacra congreg. Episcoporum edita,» apud Quarantam in *Summa Bullarii*, verb. *Archiepiscopi auctoritas*, impressa. Ad decimum censuit pariter dandum esse decretum in *Remen*. 21 Aprilis 1668, tenoris sequentis: «Propositis in sacra congregatione eminentissorum S. R. E. Cardinalium concilii Tridentini interpretum dubitationibus, circa quas Eminentia vestra pro sua egregia pastoralis sollicitudine Apostolicam Sedem consuluit, eminentissimi PP. illius zelum charismata meliora aemulantes, peculiari laude prosecuti sunt. Caeterum eas dubitationes, quae primis quinque capitibus, seu numeris digestae, et excerptae sunt, unico responso ex declarationibus alias editis definiti posse censuerunt. Etenim cum nullus ordinari debeat, quem suus episcopus suae Ecclesiae utilem, aut necessarium non judicaverit, congregatio non semel declaravit ab hujusmodi iudicio nullam dari appellationem, sed recursum duntaxat ad Sedem Apostolicam, quae juxta ipsius congregationis sententiam per Gregorium XIII fel. rec. approbatam, quotiescunque ordinarius recusaverit quemquam ordinare, metropolitanus, aut vicinior episcopo committit, ut ab eodem ordinario prius requiratur causam recusationis, quo legitimam non allegante, liceat illi eundem recusatum ordinare. Itaque, si quis ex diocesanis episcoporum emin. vestrae provincialium Sedem Apostolicam adiverit, juxta praenarratam formulam eorum querimoniis consulatur, cui formulae, ut unum in praesens addatur, censuerunt expedire eminentissimi PP. videlicet ut metropolitanus aut vicinior episcopus, antequam commissas sibi partes exsequi aggrediantur, patenter curent, ut illi denuo apud suos episcopos per tres vices suppliciter instent. Ad XI. «censuit discutiendos esse casus particulares.»

(85. Papa potest ordinare quoscunque sine demissionis suorum ordinariorum. *Communissima*, cap. *Nunc vero* 20, cap. *Per principalem* 21, caus. 9, q. 3, et arg. c. *Proposuit* 4, De concessionibus praebendarum, ibi: «Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare;» et expresse Pius II, constitut. 7, incip. *Cum ex sacrorum*, ubi excipit ordinatos a summo Pontifice, ibi: «Praeterquam si per Sedem Apostolicam juxta ejus stylum ordinati fuerint.» (86. Ordinatos autem a Papa nullus ad superiores ordines promoveri potest sine ipsius licentia, cap. *Filius* 122, caus. 1, qu. 1, et cap. *Cum in distribuendis* 12, De temporibus ordinat.; Barbosa, lib. I *Juris Ecclesiast. univers.*, cap. 2, n. 82, et c. 33, n. 59, et *De offic. et potest. episc.*, part. III, alleg. 50, num. 22, cum aliis ibi citatis, et Benedictus XIV, constitut. incip. *In postremo*.

(87. Quamvis ex dictis supra n. 14 ratione allatae constitutionis *Speculatores*, lit-

terae testimoniales proprii episcopi originis et domicilii de necesse requirantur, ut clericus legitime ad primam tonsuram, seu etiam ad minores ordines a proprio episcopo promotus, possit ab alio episcopo, ratione ac titulo cujuscunque beneficii in illius diocesi obtenti, ad posteriores ordines promoveri; non videtur tamen necessario requiri ut talis clericus possit in alia diocesi beneficium obtinere, et in illo institui; cum circa hoc nihil dicta constitutio decernat; imo ex ipsa videtur posse contrarium colligi, cum § 7 expresse dicat talem clericum «non posse ab alio episcopo ratione ac titulo cujuscunque beneficii in illius diocesi obtenti, ad posteriores ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales litteras, etc.» quae verba ratione ac titulo cujuscunque beneficii in illius diocesi obtenti, clare denotant beneficium jam fuisse legitime sine dictis testimonialibus in illius diocesi obtentum; alias si ad illud obtinendum fuissent necessariae, sicuti constitutio statuit, non posse clericum in tali diocesi beneficium sine dictis testimonialibus ad posteriores ordines promoveri, statuisset etiam, non posse sine ipsis aliud beneficium in aliena diocesi obtinere; quod enim voluit, expressit: unde si etiam id voluisset, expressisset; arg. cap. *Inter corporalia* 2, De translatione episcoporum, § *Sed neque istud*; cap. *Ad audientiam* 12, De decimis, et cap. *Quia circa* 22, De privilegiis, cum similibus.

(88. Tum quia hoc colligitur etiam ex resolutione sacrae congreg. Concil. in *Pientina seu Ilcinen. ordinationis*, in qua cum episcopus Pientinus conquestus fuisset apud ipsam sacram congregat. quod clericum Laurentium Medicheschium sibi originis et domicilii jure subditum, et jam ab ipso ad ordines minores promotum, sine suis litteris, aut dimissionis, aut testimonialibus, ad omnes sacros ordines everserit episcopus Ilcinen. ratione ac titulo cujuscunque beneficii in ejus diocesi obtenti, propositis quatuor sequentibus dubiis:

«I. An clericus Laurentius Medicheschius fuerit licite ordinatus ad titulum beneficii de quo agitur?

«II. An praedictus Laurentius licite fuerit ad sacros ordines promotus ab episcopo Ilcinen. in ejus diocesi beneficium illud existit, sine litteris dimissionis episcopi Pientini?

«III. An litterae testimoniales, quas idem Laurentius impetravit ab episcopo Pientino, fuerint sufficientes ad licitam ordinationem?

«IV. An, et qui ordines contulit, et qui eos suscepit, inciderint in poenas statutas a sacro concilio Tridentino, et a bulla *Speculatores*, in casu, etc.

Dicta sacrae Congreg. die 18 Julii 1733 respondit:

«Ad I. *Affirmative*. Ad II. *Affirmative*. Ad III. *Affirmative* in casu de quo agitur. Ad IV. *Negative*.»

Sic apud *Thesaurum resolutionum sacrae*

congregationis Concil., tom. VI, pag. 111, ad 116, ubi multa ad rem merito ibi legitur.

(89. Ubi, ut vides, ne minimum quidem dubium excitatum fuit super facultate conferendi ipsi clerico beneficium, in eoque ipsum instituendi. Quod si aliqua adfuisset ratio, etiam minima, excitandi tale dubium, et solum, ut ita dicam, ad id canonicum fundamentum somniasset episcopus Pientinus, certe excitare, et omnem movere lapidem non omisisset, utpote sibi persuasus graviter se offensum ab episcopo Ilcinen. Sed tota controversia restricta fuit, ut supra patet in propositis et decisis in sacra congregatione Concilii dubiis, ad dicti clerici promotionem ad posteriores sacros ordines, juxta sancita ab Innocentio XII in allata constitut. incip. *Speculatores*. Unde nullus videtur adesse ambigendi locus super facultate conferendi in nostro casu alicui clerico sic jam a suo episcopo originis et domicilii ad primam tonsuram, seu etiam ad minores ordines promotum, beneficium in sua diocesi, in eoque ipsum instituendi ab alio episcopo, dummodo non procedat ratione ipsius beneficii in sua diocesi obtenti ad conferendos ei posteriores ordines, sine testimonialibus proprii episcopi originis et domicilii, juxta disposita in d. constit. *Speculatores*.

(90. Tum quia experientia constat non paucos adesse clericos qui, nolentes ad superiores et sacros ascendere ordines, et aliunde digni, nulla habentes impedimenta canonica, in alienis diocesis sine dictis testimonialibus obtinent in dies beneficia simplicia, nullam personalem residentiam, et celebrationem per se missarum requirementia: quamvis tamen non desint episcopi qui ad mutuum inter se venerationem et reverentiam conservandam, ac magis fovendam ut valde decet, et summe praestat pro conferendis solis dignis atque dignioribus beneficiis, dictas testimoniales exquirere consueverint.

(91. Nota tamen atque advertite quod a praefata resolutione sacrae congregationis conc. in *Pientina seu Ilcinen.*, hic adducta n. 88, ead. sacra congregatio, die 8 Augusti ejusdem anni 1733, recessit quoad tertium et quartum dubium; reposita enim causa ex noviter deductis sub dub. : «An quoad III et IV dubium sit standum, vel recedendum a decisis die 18 Jul. proxime praeteritis in casu?» Eadem sacra congregatio, dicta die 8 Augusti 1733, respondit: «Quoad tertium recedendum a decisis, ad quartum vero consulant conscientiae suae.» Sic apud *Thesaurum resolutionum sacrae congregat. Conc.*, tom. VI, in dict. *Pientina seu Ilcinen. ordinationis* sub die 8 Augusti 1733 in ejus expositione clar. mem. Eminentissimus cardinalis de Lanfredinis, tunc ejusd. sacrae congregationis secretarius, plura eruditissime tradit ad rem. Et signanter, quod testimoniales litteras impetrari oportet ab episcopo originis, etiamsi quis inde discesserit in tali aetate, in qua nullum canonicum

impedimentum contrahere potuerit (ac proinde in casu quo de natalibus solum, ac de ætate testari queat episcopus originis), ut deducitur ex resolutione edita in *Laquedonien. seu Bituntina ordinationis 16 Novembris 1709*, ut in lib. xix *Decret.*, pag. 363.

(92. Et scite advertit quod magna intercedit differentia inter litteras dimissorias, et litteras testimoniales. Nam litteræ dimissoriæ expriment traditam facultatem, ut alter episcopus possit clericum illum ad ordines promovere; litteræ autem testimoniales non hanc facultatem impertiuntur, quia supponitur faciendâ ordinatio ab alio episcopo non indigente traditione hujus facultatis, sed ea polituro jure suo; solumque continent testimonium quod clericus promovendus sit dignus, cui tales ordines conferantur, quemadmodum hæc diversitas clare deducitur ex litteris utriusque generis, quarum formulam tradit. *Monacell.*, tom. I, tit. 4, formul. 3 et form. 9. (93. Et insuper etiam differunt litteræ testimoniales, quæ dantur eo fine ut ad prescriptum bullæ Innocentianæ exhibeantur alteri episcopo ordines collaturo ei qui beneficium in sua diœcesi fuerit assecutus, a litteris testimonialibus, quæ concedi solent ad commendandum clericum e diœcesi proficiscentem, ut illarum quoque formula habetur apud eundem *Monacell.*, dict. tit. 4, formul. 6. Sed si istiusmodi litteræ nullum exprimentes respectum promotionis ad ordines, approbarentur tanquam idoneæ, et bullæ Innocentianæ satisfaciendes ad suscipiendos ab alio episcopo ordines, facilis sterneretur via fraudibus cum non mediocri ecclesiasticæ disciplinæ discrimine, quemadmodum conquestus fuit episcopus Pientinus sic scribens: « Si de testimonialibus agatur, non inficior quod a mea curia concessæ fuerint clerico Laurentio Medicheschio paulo ante ejus discessum, prout clericis omnibus illas postulantibus, et præsertim discessuris conceduntur, sed limitate ad mores, et absque ullo prorsus respectu ad ordines suscipiendos, de quibus nec per umbram fuit cogitatum. » Et infra: « Prius audivi dictum Medicheschium celebrasse missam in hac mea diœcesi, quam fuisse ordinatum.

(94. Litteræ autem testimoniales concessæ ab episcopo Pientino clerico Medicheschio sunt istæ: « Testatur clericum Laurentium Medicheschi nostræ diœcesis minoribus ordinibus constitutum, nullo excommunicationis, irregularitatis, aut cujusvis alterius canonici impedimenti vinculo, saltem quod sciamus, innodatum existere, neque ullo crimine postulatum, sed esse bonis et honestis moribus præditum, ac talem qualem in sortem Domini vocatos decet. »

(95. Quibus omnibus, aliisque diligenter ponderatis, eadem sacra cong., die 8 Augusti 1733, prudentissime recessit a decisio sub die 18 Julii ejusdem anni 1733, quoad tertium dubium propositum sub his verbis: « Tertio, An litteræ testimoniales, quas idem Laurentius impetravit ab episcopo Pientino, fuerint sufficientes ad licitam or-

inationem? » et resolutum: « Ad tertium *Affirmative* in casu de quo agitur. » Et quoad quartum dubium propositum sub his verbis: « Quarto, an et qui ordines contulit, et qui eos suscepit, inciderint in pœnas statutas a sacro concilio Tridentino, et a bulla *Speculatores* in casu, etc. » ac resolutum, « Ad quartum, *negative*. » Quibus postea repositis die qua supra his verbis: « An quoad tertium et quartum dubium sit standum, vel recedendum a decisio die 18 Julii proxime præteriti, in casu, etc. » Respondit: « Quoad tertium, recedendum a decisio; ad quartum vero, consulant conscientiæ suæ. » Hæc apud laudatum eminentissim. de Lanfredinis, *loc. cit.*, *Vide ibi* plura alia ad rem erudite congesta.

(96. Coadjutor canonicus cum futura successione, et assignata congrua, alias exterus, eo ipso debet dici subditus capitulo Elborensi, seu respective alteri, ad effectum suscipiendi ordines absque alia dimissoria episcopi suæ originis. Propositis enim in sacra congregatione Concilii sequentibus dubiis,

« I. An coadjutor cujusdam canonicatus cum futura successione, et assignata congrua, alias exterus, eo ipso dici possit subditus capitulo Elboren. ad effectum suscipiendi ordines, absque alia dimissoria episcopi suæ originis?

« II. An supradicta coadjutoria sufficiat saltem ut talis coadjutor dicatur habere domicilium requisitum a constitutione san. memor. Innocentii XII incip. *Speculatores*, ad effectum suscipiendi ordines, ex eo quod ex possessione talis coadjutoriæ perpetuæ, videtur sufficienter demonstratus animus perpetuo permanendi?

« III. An idem episcopus auxiliaris teneatur inquirere utrum circa illos, qui sibi ab ordinario, seu capitulo proponuntur, seu dimittuntur ordinandi, satisfactum sit supradictæ constitutioni, in qua cum quidam Petrus Christophorus, fraudulenter extortis litteris testimonialibus, episcopum pro suscipiendis ordinibus, variasset, proposito dubio: « An Petrus Christophorus fuerit licite ad sacros ordines promotus cum litteris dimissoriis episcopi Clusini, et sine litteris dimissoriis archiepiscopi Pisani? » Eadem sacra congreg. 27 Januarii 1732 respondit: « *Affirmative*, sed Petrus Christophorus esse suspendendum ab exercitio ordinum ad tempus arbitrio sacr. congr. » Et id etiam comprobant resoluta dubia in supradicta *Pientina seu Heinen. Ordinationis* de clerico Laurentio Medicheschio prius ad ordines minores promotus ab episcopo Pientino, et deinde ad omnes majores seu sacros ab episcopo Heinenensi evecto.

(97. Regulares ad ordines promovendi, præter litteras obedientiales sui superioris, non tenentur exhibere ordinario fidem sui baptismatis, ad docendum de legitima ætate, dummodo in litteris obedientialibus exprimat ætas. Sic expresse sacra cong. Concil. die 12 Decembr. 1733 in *Brixinen.* in respons. ad 2. dub. apud *Thesaurum resolution. sacr. congr. Concil.*, tom. VI, impressionis Venetæ.

(98. An pro ordinibus suscipiendis possit fieri variatio de uno episcopo ad alium, attendendæ sunt sequentes resolutiones sacr.

congregat. Concilii. Cum enim in *Fundana ordinum* 27 Febr. 1666, proposita fuissent hæc dubia: « I. An in suscipiendis minoribus ordinibus sit permessa variatio, ita ut qui ab episcopo originis, seu domicilii tonsura, aut altero ex minoribus ordinibus initiatus fuerit, possit ad alium ordinem minorem ab episcopo beneficii promoveri? II. An sit permessa variatio in ascensu ab acolytatu ad subdiaconatum? III. An sit permisum subdiacono in promotione ad diaconatum, vel diacono in promotione ad sacerdotium variare? » Sac. cong. Conc. respondit: « Variationem in unoquoque ex præarratis casibus (dummodo non in fraudem fiat) licitam esse; » ut in lib. xxv *Decret.*, pag. 26. Sicque conciliari possunt dissidentes doctorum opiniones, ut scilicet variatio bona fide facta liceat, secus vero in fraudem, ut observat eminentissimus Petrus, tom. I *Ad constitut. unic. Urbani II*, sect. 1, num. 64. Et ad hoc facit alia ejusdem sacre congregationis resolutio, quæ in *Mutinen.* 26 Januar. 1658, ad dubium: « An laico, cui a proprio episcopo fuit denegata prima tonsura, possit ipsa prima tonsura conferri, vel concedi litteræ dimissoriales ab ordinario alterius diœcesis, coram quo ipse laicus præsentatus fuerit ad beneficium ecclesiasticum. » Respondit: « Non posse; » ut in lib. xxi *Decret.*, pag. 166; et in *Aversana seu Casertana ordinationis*. Cum quidam laicus prima tonsura initiari petisset ab episcopo originis et domicilii, et ab eo repulsam passus, deinde fuisset clericali militiæ ascriptus ab alio episcopo, in cujus diœcesi fuerat præsentatus ad tenue beneficium, discusso dubio: « An ordinatus et ordinatus inciderint in pœnas statutas in c. 8, sess. xxiii, *De reformat.*? » Eadem sacra congreg. respondit: « *Affirmative*; » ut in lib. xliii. *Decr.*, pag. 128 et 491. Sic referuntur tom. V. *Thesauri resolut. sac. congregationis Concilii in Pisana seu Clusina, dubium ordinationis*, in qua cum quidam Petrus Christophorus, fraudulenter extortis litteris testimonialibus, episcopum pro suscipiendis ordinibus, variasset, proposito dubio: « An Petrus Christophorus fuerit licite ad sacros ordines promotus cum litteris dimissoriis episcopi Clusini, et sine litteris dimissoriis archiepiscopi Pisani? » Eadem sacra congreg. 27 Januarii 1732 respondit: « *Affirmative*, sed Petrus Christophorus esse suspendendum ab exercitio ordinum ad tempus arbitrio sacr. congr. » Et id etiam comprobant resoluta dubia in supradicta *Pientina seu Heinen. Ordinationis* de clerico Laurentio Medicheschio prius ad ordines minores promotus ab episcopo Pientino, et deinde ad omnes majores seu sacros ab episcopo Heinenensi evecto.

(99. Ordinatio ad titulum religiosæ paupertatis, an ratificare censenda sit professionem initio nullam, adhuc disputatur, donec a sanctissimo ut in præmissis, cum aliis similibus quæstionibus explanetur et decidatur. *Benedict. XIV.*, tom. II. const. 87, incip. *Si datam*.

(100. Ordines minores collati ab abbate nullum ad id obtinente privilegium, neque licite conferuntur, neque valent. Si vero conferantur ab abbatibus habentibus jus conferendi illos certo personarum generi, et quos initiaverint ad alterum genus pertineant, illicite conferuntur, sed tamen valide; ita ex variis decretis sacre congregationis. *De synodo diœces.*, lib. II, cap. 10., § 13.

(101. Cum regularibus faciliorem se præbere potest episcopus in ordine ad examen, ut ex *Salmantic.*, *Theol. moral.*, tract. 8, cap. 5, dub. 2, punct. 2, n. 47. Facilius etiam dispensare cum illis potest ab interstitiis, conformando se judicio superioris regularis testantis de sufficientia causæ. *Institut. eccles.* 23, § 1. Sed *vid.* n. 132. art. super.

(102. Episcopus alienos subditos ordinaturus per dimissorias ad se directas, non tenetur quidem ordinandum novo examini subicere, cum id a proprio episcopo sit præstandum, ut ex communi doctorum sententia; at, si velit novæ discussioni illum subicere, potest, ut sæpius a s. congregatione Concilii definitum est. At episcopus suffraganeus ad supplendas diœcesani vices assumptus, nec tenetur, nec potest, ut ab eadem congregatione decisum est in causa *Elboren. dubior.* die 22 Augusti 1721 cui tamen fas est ab ordinatione illius abstinere, si aliqua justa causa suppetat ad eum removendum. *De synodo diœces.* lib. XII, cap. 8, § 7, nov. edit. *

ADDITIONES. EX ALIENA MANU.

(103. Opinio auctoris n. 2, quod abbas possit conferre subditis suis ordines minores, tametsi non sit benedictus, haud potest indistincte recipi. Ea tribus tantum casibus admitti potest. (104. I. Si abbas hoc a S. Sede privilegio donatus sit, ut nondum benedictus ordines minores suis subditis conferre valeat. II. Si munitus sit diurna consuetudine. III. Demum si episcopus fuerit in mora illum benedicendi. Extra autem tres hosce casus amplecti nequit. Confer Sanchez, *Consil. moral.*, lib. VII, cap. 1, dub. 19, n. 7. et seq.; et qui alios allegat *Thesaur.*, *De pœn.*, verb. *Ordo* cap. 23. versic. *Verum est*. (105. Mora autem episcopi dicitur adesse, si ter abbas petierit benedictionem, eamque ipse episcopus haud fuerit impertitus, attenda constitutione S. M. Benedicti XIII quæ incipit: *Commissi*.

(106. Quinimo juxta eandem constitutionem non aliter abbas non benedictus ex privileg. potest conferre subditis suis minores ordines, quam si privilegium recta, et nominatim ipsi sit concessum. Cæterum si agatur de abbate qui privilegium illud allegare queat per communicationem, nequit is, spectata dicta constitutione, conferre amplius minores ordines suis subditis non benedictus.

(107. De facultate cardinalium presbyterorum circa collationem primæ tonsuræ et minorum ordinum in suis titulis, familia-